

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in decimatertia dominica post Pentecosten: *Beati oculi*, quod in tribus clausulis dividitur.

In primis thema sermonis de utilitate praedicationis, ibi: *Lapidem caliginis*.

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item in Nativitate et Passione Domini, ibi: *Beatus ero*; et ibi: *Saccum consui super cutem meam*.

Item thema in Nativitate Domini, ibi: *Si fuerit pro eo angelus*; et ibi: *Tamquam granum sinapis*.

[DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de dilectione Dei et de situ cordis in homine, ibi: *Diliges Dominum Deum tuum*.

Item de Passione, ibi: *Fasciculus myrrhae*.

Item de anima et de viribus eius, ibi: *Ex tota anima*.

Item contra carnales, ibi: *Dulcis fuit glareis*.

Item de quattuor amicis Iob et eorum significationibus, ibi: *Eliphaz*.

Item sermo moralis de vita praelati vel praedicatoris, ibi: *Splendebat lucerna*.

Item de vita viri iusti, ibi: *Vir erat in terra Hus nomine Iob*.

Item contra laudem humanam appetentes, ibi: *Si vidi solem*.

Item thema sermonis ad poenitentes, ibi: *Tu si diluculo consurrexeris*.

[DE TERTIA CLAUSULA]. Thema de casu primi parentis et misericordia Redemptoris, ibi: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem*.

Item sermo moralis de septem filiis Iob, qui sunt septem beatitudines, ibi: *Homo quidam*.

Item thema sermonis de poenitentia viri iusti, ibi: *Pereat dies*.

Item contra hypocritas et dignitatis excellentiam appetentes, ibi: *Accidit autem ut sacerdos*; et ibi: *Abimelech pugnat*; et ibi: *Sunt quasi onagri*, et cetera quae ibidem sequuntur.

Exordium. De utilitate praedicationis

1 - In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: *Beati oculi qui vident quae vos videtis* etc. ¹

Dicit Iob: *Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante* ². Quid lapis caliginis, quid umbra mortis, quid torrens, quid populus peregrinans significant videamus.

“Torrens est praedicatio” ³. Sicut enim torrens abundat in hieme, siccatur in aestate, unde dicitur, “quia pluvia crescit, siccitate arescit” ⁴; sic praedicatio in hieme praesentis miseriae abundat et abundare debet. De hoc torrente in via huius exilii anima, a vultu oculorum Dei proiecta, debet bibere, super ipsum, tamquam columba, residere, seipsam prospicere. Sed infelici animae imprecatur idem Iob, dicens: *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis et butyri* ⁵. In flumine, aqua compunctionis, quae sordes peccatorum lavat; in torrente mellis, Sacra Scriptura, quae consolatur et illuminat - mel enim, ut dicitur in primo libro Regum, illuminavit oculos Ionathae ⁶ -; in torrente butyri, devotio gratiae, quae mentem impinguat, designatur. Anima ergo, carnis voluptatibus dedita, non videt rivulos fluminis, quia seipsam non plangit, nec torrentes mellis et butyri, quia nec dulcedine praedicationis illuminatur, nec devotione gratiae impinguatur. Iste torrens siccabitur aestate, idest vitae aeternae beatitudine. Unde Ieremias: ‘Non docebit unusquisque proximum suum et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; quoniam omnes scient me a minore usque ad maiorem’ ⁷.

Quanta vero interim sit utilitas praedicationis ostendit Iob, cum dicit: *Lapidem caliginis* etc. “Lapis dictus, quod laedat pedem” ⁸. “Caligo, de spissitudine aeris facta, dicta est quod maxime aeris

¹ Lc 10,23

² Iob 28,3-4 (Vg. ... *lapidem quoque... mortis. Dividit...;* in GLO. *Lapidem quoque... mortis dividet...*)

³ GLO. ORD. et INT., ibidem: «Torrens, “Irrigatio sanctae praedicationis”».

⁴ ISID., *Etym.* XIII,21,2, PL 82,490

⁵ Iob 20,17

⁶ Cf. 1Reg 14,27

⁷ Cf. Ier 31,34

⁸ ISID., *Etym.* XVI,3,1, PL 82,562

calore gignatur”⁹. Lapis caliginis est tentatio diaboli, qui, in hoc caliginoso aere inhabitans, ignitae suggestionis caliginem menti ingerit, ut ipsum affectum laedat et pervertat. “Umbra est aer carens sole, dicta, quod fiat cum solis radiis obicitur corpus”¹⁰. “Mors dicta, quasi amara”^{11/a}. Umbra mortis est oblivio mentis^{11/b}. Miser homo divitias, quasi quoddam corpus, veri solis radiis obicit, ut sub ipsis quasi sub umbraculo refrigerium habeat, qui, dum tali umbra cooperitur, cognitione et recordatione Domini privatur. Temporalia enim faciunt Deum in oblivionem venire. Unde in Genesi dicitur quod, *prosperis succedentibus, praepositus pincernarum oblitus est interpretis sui*¹². Lapidem ergo caliginis, idest tentationem diaboli, et umbram mortis, idest oblivionem mentis, dividit torrens, idest praedicatio, a populo peregrinante, idest poenitentibus, spiritu pauperibus, apostolorum sequacibus, qui se miseros et peregrinos, exules et hospites reputant in hoc exilio, quibus dicit Dominus in hodierno evangelio: *Beati oculi qui vident quae vos videtis* etc.

2 - Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Christum videntium beatitudo, cum praemittitur: *Beati oculi*. Secundum, Dei et proximi dilectio, cum adiungitur: *Ecce quidam legisperitus*. Tertium, hominis ab Ierusalem in Iericho descensio, cum subinfertur: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem* etc.

In introitu hodiernae missae cantatur: *Protector noster aspice, Deus*. Et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Galatas: *Abrahae dictae sunt promissiones*. Quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus sancti evangelii clausulis concordare. Prima particula est: *Abrahae dictae sunt promissiones*. Secunda: *Hoc autem dico, testamentum*. Tertia: *Mediator* etc. Et nota quod haec est ratio, quare ista epistola legitur cum isto evangelio, ideo scilicet quia summa utriusque, evangelii scilicet et epistolae, in lege Moysi data concordat.

I - De beatitudine videntium Christum

3 - Dicamus ergo: *Beati oculi qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis quod multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis et non viderunt, et audire quae auditis et non audierunt*¹³. Et ideo dicebat Tobias: *Beatus ero si fuerint reliquiae seminis mei ad videndum claritatem Ierusalem*¹⁴, idest humanitatem Iesu Christi. Reliquiae seminis beati Tobiae fuerunt apostoli: *semen cui benedixit Dominus*¹⁵, de quo Isaias: *Semen sanctum erit id quod steterit in ea*¹⁶, idest Ecclesia. Hi fuerunt semen Tobiae fide et patientia, et ideo videre meruerunt claritatem Ierusalem. Unde eis dicitur: *Beati oculi qui vident quae vos videtis*. ‘Videbant hominem et credebant Deum’¹⁷. Beati oculi mundi cordis, qui Iesum Christum vident. Unde dicit Iob: *Nunc autem oculus meus videt te*¹⁸. Beati oculi, quos non stercus divitiarum excaecat, nec lippitudo sollicitudinum obnubilat, quia ipsi vident Dei Filium involutum panniculo, reclinatum praesepio, fugientem in Aegyptum, sedentem in asino, nudum, suspensum in patibulo. Talem viderunt apostoli. Talem non possunt videre lippi oculi. Unde in Psalmo: *Supercecidit ignis et non viderunt solem*¹⁹. Lippi oculi solem non possunt aspicere.

⁹ ISID., *Etym.* XIII,10,11, PL 82,478

¹⁰ ISID., *Etym.* XIII,10,13, PL 82,479

^{11/a} ISID., *Etym.* XI,2,31, PL 82,418

^{11/b} Cf. EUCHERIUS LUGDUNENSIS (380-449), *Formulae spiritualis intelligentiae*, PL 50,741: «Umbra, oblivionem mentis, vel mortem carnis, vel imitationem diaboli significat».

¹² Gen 40,23 (Vg. *succedentibus prosperis...*)

¹³ Lc 10,23-24

¹⁴ Tob 13,20 (Vg. ... *ad videndam...*)

¹⁵ Is 61,9

¹⁶ Is 6,13

¹⁷ Cf. GLO. ORD., Io 20,28. Cf. AUG., *Enarrationes in Psalmos* [2], PL 37,1097: «Et videbant, et non videbant: aliquid videbant, aliquid credebant; videbant hominem, credebant Deum»; IDEM, *In Ioannis evangelium tractatus CXXIV*, PL 35,1663: «Isti Iudaei videbant hominem, nec intelligebant nec credebant Deum: atque inter caetera audistis iam quaemadmodum ei dixerunt: ‘Tu de te testimonium dicis; testimonium tuum non est verum’ (8,13). Audistis etiam quid ille responderit, cum hesterno die lectum esset, et pro nostris viribus disputatum».

¹⁸ Iob 42,5

¹⁹ Ps 57,9

4 - Sol est Christus, qui, ut aspici posset, nube se obtexit. Unde ipse dicit in Iob: *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt. Haec passus sum absque iniquitate manus meae, cum haberem mundas ad Deum preces. Terra, ne operias sanguinem meum, nec inveniat locum in te latendi clamor meus*²⁰. In sacco et cinere asperitas et vilitas humanae naturae designatur. Iesus Christus ex sacco nostrae naturae fecit sibi tunicam, quam acu, idest subtili opere Spiritus Sancti, et filo, idest fide beatae Virginis, consuit et seipsum induit, et super ipsam cinerem vilitatis et paupertatis aspersit. Hoc lippi et maledicti oculi videre non possunt. Heu! facies Iesu Christi alapis et lacrimis fuit tumida. Quae absque iniquitate manus suae pertulit; ‘qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius’²¹; qui ad Deum Patrem mundas preces pro immundis et sceleratis obtulit; qui, ut dicit Isaias, ‘pro transgressoribus exoravit’²², dicens: *Pater, ignosce illis* etc.²³ O terra, idest peccator, ne operias amore terrenorum sanguinem meum, pretium redemptionis tuae; permitte obsecro ipsum in te fructificare. ‘In fronte tua superscripsi sanguine meo signum *thau*, ne angelus percutiens te percuteret’²⁴. Noli ergo, obsecro, ipsum terra operire; noli tituli inscriptionem corrumpere, quem Pilatus non corruptit sed confirmavit, dicens: *Quod scripsi, scripsi*²⁵.

Neque inveniat locum in te latendi clamor meus. Clamor Redemptoris nostri est sanguis Redemptionis, qui, ut dicit Apostolus ad Hebraeos, ‘melius loquitur quam sanguis Abel’^{26/a}; quia sanguis Abel mortem fratricidae petiit, sanguis Domini vitam persecutoribus impetravit^{26/b}. Qui clamor locum latendi in nobis invenit, si, quod mens credit, lingua tacet. Hunc saccum, hunc cinerem lippi oculi non vident; hunc clamorem aures surdae non audiunt. Unde subdit Dominus: *Dico vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre* etc.

In prophetis, Ecclesiae praelati; in regibus potentes huius saeculi designantur. Tam illi quam isti volunt videre Christum in caelo, sed nolunt videre suspensum in patibulo. Volunt regnare cum Christo et gaudere cum mundo. Isti dicunt cum Balaam, in libro Numeri: *Moriatur anima mea morte iustorum*²⁷. Isti volunt videre gloriam divinitatis, quam viderunt apostoli, sed nolunt sustinere ignominiam Passionis, paupertatem Iesu Christi, quam sustinuerunt ipsius discipuli, et ideo non videbunt ipsum cum apostolis, sed ‘videbunt cum impiis, in quem compunxerunt’²⁸. Nec audient sibilum aurae tenuis: *Venite, benedicti Patris*²⁹, sed audient tonitruum: *Ite, maledicti*³⁰.

5 - De quo dicit Iob: *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?*³¹ Et iterum: *Numquid tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea?*³² Dominus extrema terrae tenuit, cum ‘infirmata et abiecta mundi elegit, ut per ipsa fortia confunderet’³³. Nota ista duo verba: *tenuisti, concutiens*. Pater tenet una manu filium, et alia concutiens percutit ipsum: tenet, ne in praecipitium vadat, percutit, ne insolescat et superbiat. Sic Dominus manu misericordiae tenet virum iustum, ne in peccatum corruat; percutit, ne de gratia paterna se eleve. Unde Apostolus: *Ne magnitudo revelationum extollat me* etc.³⁴

²⁰ Iob 16,16-19 (Vg. mut)

²¹ Cf. Is 53,9

²² Cf. Is 53,12

²³ Lc 23,34 (Vg. ... *dimitte illis*)

²⁴ Cf. Ez 9,4-5

²⁵ Io 19,22

^{26/a} Cf. Hebr 12,24

^{26/b} Cf. ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA GLOSSA ORDINARIA, *Liber Iob*, PL 113,802: «Clamor Redemptoris nostri est “sanguis redemptionis”, qui a fidelibus sumitur, qui, ut ait Apostolus, melius loquitur quam sanguis Abel: quia sanguis Abel mortem fratricidae petiit, sanguis Domini vitam persecutoribus impetravit».

²⁷ Num 23,10

²⁸ Cf. Io 19,37

²⁹ Mt 25,34

³⁰ Mt 25,41 (Vg. *Discedite a me...*)

³¹ Iob 26,14 (Vg. ... *illius intueri?*)

³² Iob 38,12-13 (Vg. *add*)

³³ Cf. 1Cor 1,27

³⁴ 2Cor 12,7

Sequitur: *Et excussisti impios ex ea*. In die iudicii Dominus de terra nostra, in qua peccaverunt, impios excutiet in infernum, sicut excutitur pulvis de sacco. Ipsa etiam terra impios, peccatorum ipsorum pondere aggravata, excutiet in infernum, ‘in quo erit fletus oculorum, in vanitate vagantium, et stridor dentium’³⁵, bona pauperum diripientium. Talium oculi non videbunt Iesum in caelo, sed multitudinem daemonum in inferno. Tales non audient melodiam angelorum sed stridorem dentium.

6 - Huic clausulae concordat introitus hodiernae missae: *Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia*³⁶. Beati oculi qui videbunt in cordis amaritudine faciem Iesu Christi, alapis et lacrimis tumidam, sputis illitam, quia ipsam, ‘in quam desiderant angeli prospicere’³⁷, videbunt in atriis caelestis Ierusalem gloriosam. De qua dicit Iob: *Videbit faciem eius in iubilo*^{38/a}, ac si diceret: Si hic prius viderit homo faciem Iesu Christi in cordis amaritudine, qualem habuit in Passione, postea videbit in mentis iubilo, quod nec exprimi nec reticere potest, qualem habet in aeterna beatitudine. Huius faciei claritas est *dies una*, sine interpolatione illuminans civitatem Ierusalem, omnem superexcellens claritatem, ad quam ut pervenire mereamur rogemus Patrem, dicentes: *Protector noster, aspice, Deus*. Protectio Dei minus necessaria creditur, si semper habetur; utiliter aliquando subtrahitur, ut quod sine ea nihil est homo ostendatur. *Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui*. Noli, Pater, respicere ad peccata nostra, sed respice in faciem Christi tui, quae pro peccatis nostris sputis illita, alapis et lacrimis fuit tumida, ut nos peccatores tibi reconciliaret; qui, ut nobis parceres, faciem alapis caesam tibi ostendit, ut in ipsam respiceres, et respiciens, nobis, qui eius Passionis causa fuimus, propitius fieres.

7 - Unde, super hoc habes concordantiam in Iob: *Si fuerit, inquit, pro eo angelus loquens, unum de similibus*^{38/b}, *ut annuntiet hominis aequitatem, miserebitur eius, et dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem; inveni in quo ei propitius. Consumpta est autem caro eius a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiae suae*^{39/a}. “Angelus iste Christus accipitur; pro nobis autem Patri loquitur unum de similibus. Cum enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendit; in uno tantum a nobis, idest in formae veritate, non discrepat; qui Patri pro nobis loquitur, per hoc quod se nobis similem ostendit, per id Patri loquitur, quo nobis est similis. Loqui eius est se pro nobis hominem ostendere, praeter quem nullus aequus inveniretur, qui sine peccato pro peccatoribus intercederet. *Miserebitur eius et dicet*. Mediator ideo miseretur hominis, quia formam hominis sumpsit. Et dicit: *Libera eum, ut non descendat in corruptionem*. Dicere eius est liberare hominem, naturam hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne quam assumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit. *Inveni in quo ei propitius*, ‘ac si aperte dicat: Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo intercessor iustus pro hominibus appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci. Et dum me hominem exhibui, in quo iuxta hominem hominibus propitiarer inveni’^{39/b}. *Consumpta est caro eius a suppliciis* etc. Innumeris enim humanum genus suppliciiis vitiorum et poenarum premebatur, sed veniente Redemptore, revertitur ad dies adolescentiae suae, prioris scilicet vitae integritate renovatur, ut non in eo maneat quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit”⁴⁰.

8 - Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: *Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed, quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus*⁴¹, qui fuit ‘tamquam granum sinapis in horto Beatae Virginis seminatum, quod paupertate et humilitate minimum fuit omnibus seminibus, idest hominibus, in sua Nativitate; crevit in

³⁵ Cf. Mt 8,12

³⁶ Ps 83,10-11

³⁷ Cf. 1Pt 1,12

^{38/a} Iob 33,26

^{38/b} Il Santo utilizza la parola *similibus* della Glossa, al posto di *milibus* della Volgata.

^{39/a} Iob 33,23-25 (Vg. ... *unum de millibus*... *Consumpta est caro*...; in GLO. ... *unum de similibus*...)

^{39/b} Cf. GREG., *Moralium in Iob*, XXIII,3,6: «Ac si aperte Mediator Dei et hominum dicat: Quia nullus hominum fuit qui coram Deo intercessor iustus pro hominibus appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci, et dum me hominem exhibui, in quo iuste hominibus propitiarer inveni».

⁴⁰ GLO. ORD., ibidem

⁴¹ Gal 3,16

sua praedicatione et miraculorum operatione, in qua maior fuit omnibus oleribus, idest Veteris Testamenti patribus; factus est arbor, in sua Resurrectione, extendit ramos suos in apostolorum praedicatione, et sic volucres caeli, idest Ecclesiae fideles, veniunt fide et habitant spe et caritate, in ramis eius, idest doctrinis et exemplis eius⁴². Et ideo beati qui modo vident per fidem illum, in quo benedictae sunt omnes gentes, ipsum postmodum visuri per speciem in gloria caelesti, et audituri: *Venite, benedicti Patris mei*⁴³. Ad quam visionem et audiendam vocem ipse beatus Christus nos perducere dignetur, qui est benedictus Deus per aeterna saecula. Amen.

II – De Dei et proximi dilectione

9 - Sequitur secundum. *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum et dicens: Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti; hoc fac, et vives*^{44/a}. Nota quod in hac clausula omnis perfectio viae et patriae includitur^{44/b}. Singula verba quae in hac auctoritate ponuntur, *Diliges Dominum Deum tuum* etc., sunt magnae virtutis et magnae utilitatis. Unde de quolibet breviter disseramus.

Dilectio dicitur, quod duos in se liget. Nam ‘dilectio a duobus incipit’⁴⁵; ‘quae est amor Dei et proximi, in bonis tantum accipi solet’⁴⁶. Diligere, duos ligare. Dominus dicitur, quod dominetur creaturae cunctae, vel ‘quod domui praesit’⁴⁷, vel quasi dans minas. ‘Deus, [*Eloe*] hebraice, latine dicitur *timor*, graece *theos*’⁴⁸, quia *theoreo* dicitur *video*, quod cuncta videat. *Theo* quoque dicitur *curro*, quia cuncta percurrat. Dilectio Deum et proximum ligat. Haec est illa linea, de qua dicit Dominus in Iob: *Quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatae sunt?*⁴⁹ Dominus tetendit lineam suae dilectionis super animam, ut ipsa se extendat usque ad dilectionem proximi. *Super quo*, nisi super Iesu Christo, *bases*, idest animae purae intentiones, quibus tota fabrica virtutum innititur, *sunt solidatae*? Basis omnis intentionis nisi in Christo sit solidata, totius operis fabrica minatur ruinam, ‘et ruina illa erit magna’^{50/a}. *Diliges ergo Dominum Deum tuum*.

Nota ista duo: *Dominum et Deum*. Dominum, quia dominatur cunctae creaturae^{50/b}; Deus, quia cuncta videt et cuncta percurrit. Unde de eo dicit Sophar Nahamatites in Iob: *Excelsior caelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius et latior mari. Si*

⁴² Cf. Mt 13,31-32

⁴³ Mt 25,34

^{44/a} Lc 10,25-28 (Vg. ... *tentans illus...*)

Le fonti dei commenti a Lc 10,25-28: amore di Dio e del prossimo, Ed., II,161,167,31; “*Hoc fac et vives*”, Ed. II,168,20–172,5; Lc 30-37: buon Samaritano, Ed. II,172-174,13 e Mt 5,3-9: sette beatitudini, Ed. II,176,3-179,5, intrecciano passi della GLOSSA ORDINARIA in Iob con passi di GREGORIO, *Moralia in Iob*, e richiederebbero un’analisi di tutte le citazioni, per distinguere a quale delle due fonti appartengono e localizzarle all’interno di un discorso che si protrae oltre i passi citati. Sarà dunque più semplice, per questo lavoro, lasciarsi guidare dalle citazioni scritturistiche, in corsivo, e dai riferimenti a GLO. ORD., indicati in nota. Saltuariamente, riporteremo qualche riferimento ad autori specifici (Anselmo di Laon e la sua scuola, Rabano Mauro, Ugo di S. Vittore, ecc.) per sottolineare l’impatto di questi commenti sugli scrittori ecclesiastici medievali e sul nostro Dottore.

^{44/b} H. PINTO REMA, *o.c.* II, p. 20: «Questo linguaggio designa la perfezione del presente stadio umano di *viatores*, abitanti di questo orbe terraqueo, e la perfezione della patria celeste, nella vita futura della beatitudine».

⁴⁵ Cf. ISID., *Sententiarum* III,28,2, PL 83,702

⁴⁶ Cf. ISID., *Diff.* II,37,142, PL 83,92

⁴⁷ ISID., *Etym.* X,65, PL 82,374

⁴⁸ Cf. ISID., *Etym.* VII,1,5, PL 82,259-260. Il nome proprio dell’unico vero Dio è *Elohim* (plurale di *Eloha*). Il plurale designa quasi sempre un solo Dio, sia l’unico vero Dio, sia un idolo. Cf. *Dictionnaire Encyclopédique de la Bible*, Brepols, 1960, alla parola *Elohim*.

⁴⁹ Iob 38,5-6

^{50/a} Cf. Mt 7,27

^{50/b} Cf. RABANUS MAURUS, *Commentaria in Exodum*, PL 108,29: «Septimum in ordine nominum Dei, est Adonai; quod generaliter interpretatur dominus: quod dominetur cunctae creaturae; vel quod creatura omnis dominatui eius deserviat».

*subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?*⁵¹ *Vel quis dicere potest: Cur ita facis?*⁵²

Nota: “Caeli dicuntur angeli, inferni daemones, terra iusti homines, mare peccatores. Nec angeli igitur eius attingunt altitudinem; et daemonum astutias, longe subtilius quam putant, iudicat; et iustorum longanimitatem patientia eius superat et ubique facta peccantium praesentia eius occupat. Vel, homo caelum est contemplatione, infernus tentationum caligine, terra dum fructificat, mare dum mutabilitate agitur. Sed et contemplatio hominis in Deo deficit, et si se in tentationibus discutit, subtiliora Dei iudicia timet, et opera eius retributio in fine superat. Et quantumlibet mens fluctuet, inquirendo, distractionem futuram non agnoscit. Item, habet latitudinem amando, longitudinem tolerando, altitudinem intellectus vota superando, profunditatem motus cogitationis illicitos iudicando. Subvertit caelum, dum contemplationem hominis destruit; infernum, dum pavidum in tentationibus ad deteriora cadere permittit; terram, dum fructum boni operis per adversa intercidit; mare, dum nostram titubationem terrore iudicii confundit. Caelum et infernus simul coarctantur, cum eandem mentem et contemplatio sublevat et tentatio obscurat. Terra et mare simul coarctantur, cum eandem mentem et certa fides de aeternis roborat, et aliquantula mutabilitate aura dubietatis versat”⁵³. Talis ac tantus diligendus est. *Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc.

Tuum dicit, et ideo plus diligendus; plus enim nostra quam aliena diligimus. Dignus est a te diligere, qui, cum sit Dominus Deus tuus, est tibi factus serviens, ut tu eius fieres et ei servire non erubesceres. *Servire*, inquit in Isaia, *me fecisti in peccatis tuis*⁵⁴. Triginta tribus annis Deus tuus factus est servus tuus propter peccata tua, ut te a servitute diaboli liberaret. *Diliges ergo Dominum Deum tuum*, qui fecit te; se fecit propter te; se totum tibi dedit, ut te totum dares ei. *Diliges ergo Dominum Deum tuum*. ‘In primo opere, cum non esses, te tibi dedit; in secundo opere, cum male esses se tibi dedit ut bene esses, et ubi se tibi dedit, te tibi reddidit’⁵⁵. Datus ergo et redditus, te debes et bis debes et totum debes. *Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. Qui *totum* dixit, non tibi de te partem dimisit, sed totum te sibi offerri praecepit. ‘Se enim toto, te totum emit’⁵⁶, ut solus te totum possideret. *Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Noli ergo, ‘cum Anania et Saphira, tibi de te facere partem, ne totus cum illis intereas’^{57/a}. Dilige ergo ex toto, non ex parte. Deus enim non habet partes, sed ubique totus est, et ideo non vult partem in tuo, qui totus est in suo. Si partem tibi de te reservas, tuus es, non suus. Vis totum habere? Da illi tuum, et ipse dabit tibi suum; et sic nihil habebis de te, quia habebis totum se cum toto te. *Diliges ergo Dominum Deum tuum* etc.^{57/b}

10 - Nota ista quattuor: cor, animam, vires et mentem. “Situs cordis in medio pectoris hominis est; declinat modicum ad sinistram, nam recedit a distinctione quae est inter mammillas modicum; et declinat ad mammillam sinistram et est in parte superiori pectoris; et non est magnum, nec sua forma est longa, sed declinat modicum ad rotunditatem et sua extremitas est stricta et acuta”⁵⁸. O homo, tui cordis dispositio et forma informat te qualiter debeas diligere Dominum Deum tuum. Cor tuum est situm in medio pectoris inter duas mammillas. In duabus mammillis duplex memoria, scilicet dominicae Incarnationis et Passionis designatur, ex quibus quasi mammillis anima nutritur. In dextera mammilla, memoria Incarnationis; in sinistra, Passionis intelligitur. Inter has mammillas debet esse situm cor tuum, ut quidquid cogitas, quidquid rectum pertractas, totum ad paupertatem et humilitatem

⁵¹ Iob 11,8-10

⁵² Iob 9,12

⁵³ GLO. ORD., Iob 11,8-10

⁵⁴ Is 43,24

⁵⁵ Cf. *Vitis mystica*, 30,106, PL 184,697

⁵⁶ Cf. BERN., *De diversis*, sermo 22,6, PL 183,598. Secondo ANNA BURLINI CALAPAJ, *Le citazioni di s. Bernardo*, in «Atti 1981», p. 221, la relazione tra il testo di Antonio e il testo bernardino è poco sicura, anzi molto lontana» (cf. H. PINTO REMA, *o.c.* II, p. 23).

^{57/a} Cf. Act 5,1-10

^{57/b} Questo linguaggio elaborato ricorda S. Agostino. Il “totum” riassume il sospiro di s. Francesco: *Deus meus et omnia*, “mio Dio e mio tutto”.

⁵⁸ ARIST., *De hist. an.*, I,17,496a15-19. Alia interpretatione: «Situs [cor] caeteris animalibus in medio pectore est, in quibus scilicet pectus inest. Homini tantum in partem sinistram potius vergit, Paulo a mammillarum distinctione ad laevam inclinans papillam, pectoris parte superiore; nec magnum est, et specie tota in oblongum, sed rotundius. Parte tamen extrema in acutum se colligit, exitque pene in mucronem».

Incarnationis et amaritudinem dominicae Passionis referas. Unde dicit sponsa in Canticis: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*⁵⁹.

Anima, Iesu Christi, dilecti Filii Dei Patris, sponsa, facit sibi fasciculum myrrhae ex tota sui vita dilecti. Recolit enim qualiter praeseptus reclinatus, pannis involutus et in Aegyptum fugatus, exsul, pauper et peregrinus; qualiter Iudaeorum iniuriis, blasphemis saepius lacessitus; qualiter a discipulo traditus, a praesidis cohorte ligatus, ad Annam et Caipham ductus, ad columnam ligatus et a Pontio Pilato flagellatus, spinis coronatus, alapis caesus, sputis illitus, inter latrones et homicidas qualiter fuerit crucifixus. Ex his omnibus, in unum collectis et vinculo devotionis fortiter colligatis, facit sibi fasciculum myrrhae, idest amaritudinis et doloris, et ponit inter ubera, ubi est situs cordis. Super cor sponsae, talis semper debet esse fasciculus myrrhae.

Et nota quod, sicut cor modicum declinat ad sinistram mammillam, sic compassio et devotio cordis debet declinare ad amaritudinem dominicae Passionis. Unde Magdalena prius super pedes Domini, in quibus Passio ipsius designatur, lacrimas et unguentum effudit. Super pedes Domini flet, qui ipsi compatitur patienti; ungit eos, qui gratias agit pro beneficio Passionis. Utrumque enim Passioni Iesu Christi debemus, dolorem scilicet et devotionem.

Et sicut cor tuum est in parte superiori pectoris, sic ipsius cogitatio et voluntas in superiori gloria. ‘Ubi est thesaurus tuus, Iesus Christus, manna in urna aurea, ibi debet esse et cor tuum’⁶⁰.

Et sicut cor tuum non est magnum, nec sua forma est longa, sed declinat modicum ad rotunditatem, sic nec tu sis magnus elatione, longus cupiditate, sed rotunde et perfecte vivas. Quod enim rotundum est diminutione caret.

Et sicut extremitas cordis est stricta et acuta, sic semper cogita, quod extremitas vitae tuae erit stricta et acuta. Stricta, quia oportebit te transire per strictissimum mortis foramen, per quod aliquid tecum non poteris deferre, praeter peccata tua, quae non sunt substantia. Acuta, quia timor iudicis te perforabit, horror poenae stimulabit. Dum ergo habes cor in tua potestate, *dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

11 - *Et ex tota anima tua*. “Anima est substantia incorporalis, intellectualis, rationalis, invisibilis, habens ignotam originem, nihil terrenum in se mixtum”⁶¹. ‘Anima dicta, quasi *anemos*, quod graece’^{62/a} dicitur *motus*, eo quod semper sit in motu proprio et corporea moveat; vel quasi *anamne*, idest *anamneia*, quod graece *recogitatio* dicitur; vel componitur ex *a* et *nemo*, quod graece *tribuo* dicitur, eo quod tribuat vitam corporibus; vel *anaema*, idest superior sanguis^{62/b}. *Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua*, ut motum tuum, cogitationem tuam, vitam tuam ad ipsius dilectionem referas.

Item: *Ex omnibus viribus tuis*. Nota quod “tres sunt vires animae, scilicet rationabilis, concupiscibilis, irascibilis”⁶³. Rationabili bona a malis discernimus; concupiscibili ipsa bona desideramus; irascibili mala detestamur. Has vires amiserunt effeminati, de quibus dicit Iob: *Dulcis*

⁵⁹ Cant 1,12

⁶⁰ Cf. Mt 6,21

⁶¹ ISID., *Diff.*, II,27,92, PL 83,83. A questo proposito, DIOMEDE SCARAMUZZI (*Parla il Santo di Padova*, Roma 1946, p. 31) scrive: «Il Santo Dottore dice che l’anima è di origine sconosciuta nel senso che non è di origine umana, ma creata da Dio, e che la sua azione sfugge ad ogni conoscenza sensibile dell’uomo».

^{62/a} Cf. ISID., *Etym.* XI,1,7, PL 82,398

^{62/b} Cf. H. PINTO REMA, *o.c.* II, p. 26, n. 7: *Anemos* significa propriamente vento, che in realtà si riferisce al movimento e anche all’anima. Ma non ha nessuna relazione con il sangue. Di fatto, in greco la parola *nemo* significa “attribuire, assegnare”. Per il concetto di “anima” in Antonio, vedi: D. SCARAMUZZI, *La figura intellettuale di S. Antonio di Padova*, Roma 1934, p. 154, n. 4; ALFREDO BIZZOTTO, *La struttura dell’anima nei “Sermones” di s. Antonio*, in «Atti 1981», pp. 731-735; ANTONINO POPPI, “Ratio” et “Sapientia” nel pensiero di S. Antonio di Padova, in «Atti 1981», pp. 737-748; M. CÂNDIDA M. PACHECO, *A formação intelectual de St. António*, in *Actas 1981*, p. 386s e *Itinerarium*, Braga, 27 (1981), 174-175; CARLOS H. C. SILVA, *Da essência metafísica do conhecimento místico em St. António*, in *Itinerarium*, 27, (1981) 212, e ancora *O simbolismo da nuvem e a doutrina mística antoniana: o tempo diferencial do asombramento*, em *Colóquio Antoniano*, Lisboa 1982, pp. 166 e 168.

⁶³ ISID., *Diff.* II,30,104, PL 83,85. Troviamo la stessa dottrina in *De spiritu et anima*, l. 2, attribuito a HUGO DE S. VICTORE. Con queste tre facoltà, o forse, la terminologia dei Vittorini designava gli agenti delle diverse virtù, specificamente distinte.

fuit glareis Cocythi, et post se omnem hominem trahit^{64/a}. “Glareae lapilli sunt fluminum, quos aqua defluens secum trahit. Cocytus, graece, luctus feminarum vel infirmantium dicitur latine^{64/b}. Philosophi Cocythum fluvium apud Inferos asserunt currere, significantes, quod ibi sit luctus iniquis. Dulcis ergo est amor transitoriis glareis Cocythi, idest illis qui contra voluptates fortiter stare nolunt et suis quotidie lapsibus ad luctum aeternum tendunt”⁶⁵. *Post se omnem hominem*, idest totum, idest vim rationabilem, concupiscibilem et irascibilem, dulcedo amoris terreni *trahit*. Prudentia mundana trahit rationabilem; voluptas carnis, concupiscibilem; vanagloria, irascibilem.

12 - Isti sunt ‘tres amici Iob, scilicet Eliphaz Themanites, Baldad Suhites et Sophar Nahamathites’⁶⁶. “Eliphaz, contemptus Domini; Themanites auster interpretatur”⁶⁷, et significat prudentiam mundanam, quae de austro, vento calido, idest mundi cupiditate, provenit, ‘quia filii huius saeculi prudentiores sunt in generatione sua, etc.’⁶⁸ Haec sapientiam Domini contemnit, et ideo ab ipsa contemnitur. Unde Isaias: *Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris*⁶⁹.

“Baldad sola vetustas, Suhites loquens interpretatur”⁷⁰, et significat carnis voluptatem, quae a primis parentibus incepit, et per successionem generationum pellem filiorum vetustam facit. Hoc patrimonium nobis vetus Adam dimisit; haec vetustas a loquela serpentis orta fuit. Unde in Psalmo dicit poenitens: *A voce gemitus mei*, idest suggestionem voluptatis, quae est causa mei gemitus, *adhaesit os meum*, idest ratio vel virtus mea, *carni*, idest carnalitati, *meae*⁷¹.

“Sophar interpretatur dissipatio speculae; Nahamathites, decor”⁷², et significat vanamgloriam, quae ex falso religionis decore oritur, qua specula contemplationis et totius boni operis dissipatur. *Receperunt*, inquit, *mercedem suam*⁷³.

Istis tribus tres animae virtutes destruuntur, et ideo necesse est ut beatus Iob, “qui interpretatur dolens”⁷⁴, idest poenitens, qui dolet, ut dolore careat, istos tres amicos, de quibus ipse dicit: *Verbosi amici mei*⁷⁵, non audiat nec eis acquiescat, ut ex omnibus viribus suis Dominum Deum suum diligit.

13 - *Et ex omni mente tua*. “Mens est pars animae quaedam, per quam omnis ratio intelligentiaque percipitur”⁷⁶. “Mens vocata, quod emineat in anima, vel quod meminit. Mens enim est non anima, sed quod excedit in anima, pars animae praestantior, a qua procedit intelligentia. Unde et ipse homo secundum mentem imago Dei dicitur. Ita autem haec omnia adiuncta sunt animae, ut una res sit. Pro efficientiis enim causarum diversa nomina sortita est anima. Dum enim vivificat corpus, anima est; dum vult, animus est; dum scit, mens est; dum rectum iudicat, ratio est; dum spirat, spiritus est; dum aliquid sentit, sensus est”⁷⁷. *Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota mente tua*, ut quidquid meminis, scis et intelligis ad Dei dilectionem referas.

Sequitur: *Et proximum tuum sicut teipsum*. De hoc quaere in prima clausula evangelii: *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso*⁷⁸. Super hoc habes concordantiam in Iob, ubi dicit:

^{64/a} Iob 21,33 (Vg. ... trahet...)

^{64/b} La parola greca *kokytós* significa “lamento”. V. ISID., *Etym.* XIV,9, 7, PL 82,526: «Cocytus, locus inferi. Cocytus autem nomen accepit, Graeca interpretazione, a luctu et gemitu».

⁶⁵ GLO. ORD., ibidem

⁶⁶ Cf. Iob 2,11

⁶⁷ GLO. INT., ibidem: «Eliphaz, “contemptus Domini”»; «Themanites, “auster interpretatur”»; Baldad, “sola vetustas”»; «Suhites, “loquens interpretatur”»; «Sophar, “dissipation speculae”»; «Nahamathites, “decor”».

⁶⁸ Cf. Lc 16,8

⁶⁹ Is 33,1

⁷⁰ GLO. INT., ibidem: cf. *Supra*, n. 76.

⁷¹ Ps 101,6

⁷² GLO. INT., Iob: cf. *Supra*, n. 76.

⁷³ Mt 6,5

⁷⁴ GLO. ORD., Iob 1,1

⁷⁵ Iob 16,21

⁷⁶ ISID., *Diff.*, II,23,86, PL 83,82. Cf. ANTONINO POPPI, *o.c.*, in «Atti 1981», p. 742, n. 21.

⁷⁷ ISID., *Etym.* XI,1,12-13, PL 82,399

⁷⁸ *Dominica I post Pentecosten*

Visitans speciem tuam non peccabis ⁷⁹. Huius auctoritatis expositionem require in secunda clausula primi sermonis: *In principio creavit Deus caelum et terram* ⁸⁰.

14 - Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Hoc dico, testamentum confirmatum a Deo* ⁸¹. Testamentum dictum, quod scripta est cum testibus et confirmata voluntas. Voluntas Dei est ipsius et proximi dilectio, quae conscripta fuit in lege naturae, litterae et gratiae, confirmata testibus, quibus dixit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem* ⁸². Hoc testamentum confirmatum fuit in morte testatoris. Unde in Ioanne: *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem, “idest in mortem”* ⁸³, *dilexit eos* ⁸⁴. “Non quod morte terminetur eius dilectio, sed in tantum dilexit quod usque ad mortem eum dilectio perduxit” ⁸⁵.

Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut dilectione tui et proximi nos liges, qua te *ex toto corde*, idest fortiter, ne abstracti, *ex tota anima*, idest sapienter, ne decepti, *ex omnibus viribus et ex omni mente*, idest dulciter, ne illecti ab amore tuo divertamur, et proximum sicut nos ipsos diligere valeamus. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

15 - *Hoc fac et vives*. Dicit Iob: *Splendebat lucerna Dei super caput meum. Lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivus olei* ⁸⁶. ‘In lucerna, praedicatio; in capite, mens’ ⁸⁷; in butyro, lacrimarum compunctio; ‘in pedibus, cordis affectus’ ⁸⁸; ‘in petra, Christus; in oleo designatur gratia Spiritus Sancti’ ⁸⁹. Cum ergo splendet lucerna praedicationis super mentem peccatoris, butyro compunctionis, emanantis de pinguedine dilectionis, abluit sordes pedum, idest affectuum cordis; et sic petra, idest Iesus Christus, effundit ei rivulos olei, idest abundantem gratiam Spiritus Sancti, qua illuminatus in praesenti et in futura vivat gloria. Unde dicit Dominus: *Hoc fac et vives*.

Nota ista tria verba: *Hoc, fac, et vives*. In quibus tria, scilicet doctrina, vita et gloria intelliguntur. *Hoc*, ecce doctrina; *fac*, ecce vita; *et vives*, ecce gloria. O homo, hoc quod audis in praedicatione fac in operatione. Cum splendet lucerna super caput tuum, lava butyro pedes tuos; et sic vives, quia petra tibi olei rivus fundet, hoc quod audis: *Diliges Dominum Deum tuum* etc. Quibus quattuor concordant illa quattuor, quae ponuntur in principio Iob: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, et erat vir ille simplex et rectus, ac timens Deum et recedens a malo* ⁹⁰. In terra Hus, “idest consilii” ⁹¹, habitat vir iustus, qui Domini consilia observat ut ipsius praecepta. Hic est simplex in cordis puritate, rectus in animae affectione, timens Deum in virium naturalium ordinata executione, recedens a malo in mentis soliditate.

Hoc fac, ut sis simplex, idest sine plica fraudis, non tuam sed Dei laudem quaerens, dicens cum Iob: *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et laetatum est cor meum in abscondito, et osculatus sum manum meam ore meo. Quae est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum* ⁹². “Sol in fulgore est bonum opus in manifestatione” ⁹³. “Luna incedens clare est fama, quae, lucens in nocte huius vitae, ex bono opere vires accipit. *Et non est laetatum in abscondito*

⁷⁹ Iob 5,24

⁸⁰ Dominica in Septuagesima

⁸¹ Gal 3,17 (Vg. *Hoc autem...*)

⁸² Io 15,12

⁸³ GLO. ORD., Io 13,1

⁸⁴ Io l.c.

⁸⁵ GLO. ORD., ibidem. Cf. ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA GLOSSA ORDINARIA, *Evangelium secundum Ioannem*, PL 114, 404: «Vel in finem, id est in mortem, non quod morte terminetur eius dilectio, sed in tantum dilexit quod usque ad mortem dilectio eum perduxit, in quo exemplum dedit ut omnes in Dei veritate permaneant usque in finem.

⁸⁶ Iob 29,3,6 (Vg. ... *lucerna eius...*)

⁸⁷ Cf. GREG., *Moralium* XIX,11,18, PL 76,107

⁸⁸ Cf. GLO. INT., Io,13,9: «Pedes, “Vestigia evangelistarum firmat et purgat”».

⁸⁹ Cf. GLO. ORD. et INT., Iob 29,6: «Oleum, “Praedicamenta intimae unctionis, quia currunt et unguunt, de hac petra rivi olei exeunt evangelistarum libri”.

⁹⁰ Iob 1,1

⁹¹ GLO. ORD., ibidem

⁹² Iob 31,26-28 (Vg. *mut*)

⁹³ GREG., *Moralium* XXII,6,11 PL 76,219

cor eius. Sunt enim qui suis praeconiis extolluntur apud se et gaudent. *Et osculatus sum manum meam ore meo.* Per manum, operatio; per os locutio designatur. Manum ergo suam ore suo osculatur, qui laudat quod facit. *Quae est iniquitas maxima* etc., quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur”⁹⁴. Hoc fac, scilicet ut solem boni operis et lunam famae lucentis non videas, ut inde gaudeas, et quod dicis non laudes, sed totum Creatori tuo attribuas.

16 - Item: *Hoc fac*, ut rectus sis. Unde dicit Baldad Suhites in Iob: *Tu si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus; si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae. In tantum, ut priora tua sint pauca et novissima tua multiplicentur nimis*⁹⁵. *Si diluculo*, idest cordis contritione, *consurrexeris*, idest simul mente et corpore surrexeris, *ad Deum, et Omnipotentem* in tui criminis et eius laudis confessione *fueris deprecatus; si mundus et rectus poenitentiae satisfactione incesseris, statim evigilabit ad te*, scilicet in diluculo contritionis, *et pacatum reddet habitaculum iustitiae tuae*, in tui criminis confessione qui enim se iuste accusando iudicat in confessione, pacatum possidet sui corporis habitaculum in mentis tranquillitate. *In tantum, ut priora tua fuerint pauca* etc. Ecce quod, poenitentia in praesenti gratiam augmentat et in novissimo gloriam accumulatur. *Hoc ergo fac et vives.*

Item: *Hoc fac*, ut sis timens Deum, ut dicas cum Iob: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius sustinere non potui*⁹⁶. “Cum fluctus desuper eminent, nulla tunc cura rerum temporalium navigantibus, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur; ea quoque ex navi proiciunt, pro quibus longa navigia sumpserunt. Quasi ergo tumentes fluctus super se Deum metuit, qui dum veram vitam desiderat, omnia despicit, quae hic possidens portat. Vel tumentes fluctus extremam potestatem dicit, quando commotis omnibus elementis, supernus iudex veniens finem omnium apportat, quam sancti quotidie expavescunt. *Et pondus eius sustinere non potui*, quia qui extremi iudicii adventum intenta mente considerat, profecto videt quod tantus pavor imminet, quantum non solum tunc videre, sed etiam nunc praevidere pertimescat”⁹⁷. *Hoc ergo fac et vives.*

17 - Item: *Hoc fac*, ut scilicet a malo recedas. Unde Sophar Nahamathites dicit in Iob: *Si iniquitatem quae est in manu tua abstuleris a te, et non permanserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis. Miseriae quoque oblivisceris, et quasi aquarum quae praeterierunt non recordaberis. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defossus securus dormies. Requiesces, et non erit qui exterreat*⁹⁸.

GREGORIUS: “Iniquitas in manu est culpa in opere; iniustitia in tabernaculo, iniquitas in mente. Mens quippe tabernaculum vocatur, in quo apud nos abscondimur, cum foris in opere non videmur. Levare autem faciem est in Deo animum per studia orationis attollere; quam faciem macula inquinat si reatus sui conscientia accusat. *Et eris stabilis et non timebis.* Quia tanto minus ad iudicium trepidat, quanto in bonis solidius actibus stat. *Miseriae quoque oblivisceris.* Mala vitae praesentis tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum quod sequitur negligit. At si in his quae permanent oculum cordis figat, nihil esse conspicit quicquid ad finem tendit. *Et quasi meridianus fulgor.* Fulgor meridianus in vespere est virtutis renovatio in tentatione”⁹⁹.

Et cum te consumptum putaveris etc. “Saepe namque nos tot tentamenta obsident, ut ad lapsum desperationis inclinent, sed caliginem nostram conditor respicit, et subtracti luminis radios refundit”¹⁰⁰. Et tunc habes fiduciam, proposita tibi spe divinae misericordiae.

⁹⁴ GLO. ORD., Iob l.c.

⁹⁵ Iob 8,5-7. Le fonti di questi commenti ai passi di Iob, da II,168,20 a II,172,5, sotto la rubrica GLO.ORD., sono un intreccio di citazioni prese da GREG., *Moralia in Iob*, L. X, cc.15-21, PL 75,935-941. Lo stesso Gregorio è ripreso, quasi alla lettera, da ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA GLOSSA ORDINARIA e, con varianti, da altri autori medievali. Le fonti PL 75 citate, talvolta semplici riassunti, corrispondono generalmente agli ‘incipit’ del testo di Giobbe.

⁹⁶ Iob 31,23 (Vg. *mut*)

⁹⁷ GLO. ORD., ibidem

⁹⁸ Iob 11,14-19 (Vg. *mut om add*)

⁹⁹ GLO. ORD., 11,14-17

¹⁰⁰ GLO. INT., Iob 11,17: «Consumptum, “Saepe namque nos tot tentamenta obsident, ut ad lapsum desperationis inclinent, sed caliginem nostram conditor respicit, et subtracti luminis radios refundit”».

Et defossus securus dormies. “Defossi securi dormiunt, qui dum sua intima vigilanter penetrant, a laboriosis se huius mundi oneribus sub quietis otio occultant. *Requiesces et non erit qui te exterreat.* Qui enim in aeternitatis desiderio figitur, dum nihil est in mundo quod appetat, nihil est quod de mundo pertimescat”¹⁰¹.

Hoc ergo fac et vives, vita gratiae in praesenti et vita gloriae in futuro. Ad quam te perducatur, qui est vita et gloria, qui est benedictus per aeterna saecula. Amen.

III – De hominis ab Ierusalem in Iericho descensione

18 - Sequitur tertium. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones* etc.¹⁰² “Homo iste Adam intelligitur, in genere humano, qui a beatitudine caelestis Ierusalem, praevaricationis prolapsione, ad miserias et ad defectum huius vitae mutabilis et erroneae descendit, cum intumescere coepit. Et per hoc etiam *incidit in latrones*, idest in potestatem angelorum noctis, qui se transfigurant in angelos lucis, sed perseverare non possunt. In quos non incideret, nisi eis mandati caelestis devius se fecisset obnoxium. Qui etiam indumenta gratiae spiritualis, immortalitatis scilicet et innocentiae, auferunt, et sic vulnera inferunt, idest peccata, quibus integritas humanae naturae violatur, et mors quasi fossis visceribus inducitur. Qui servat intemerata quae sumpsit indumenta, non potest sentire latronum plagas. *Abierunt*, non cessando ab insidiis, sed occultando insidias. *Semivivo relicto*, quia immortalitatem exuere, sed rationis sensum abolere non possunt, quin homo sapere et Deum possit cognoscere. *Sacerdos et Levita*, qui transeunt, sacerdotium et ministerium Veteris Legis figurant vel Testamenti, ubi vulnera languentis mundi monstrantur, non curantur.

Samaritanus, qui custos interpretatur, Dominus est, qui propter nos homo factus, vitae praesentis iter arripuit et venit secus vulneratum, *in similitudinem hominis factus, et habitu inventus ut homo*¹⁰³, compassionis nostrae susceptione finitimus et misericordiae collatione vicinus. *Alligavit vulnera eius*, peccata redarguendo cohibuit. *Infundit oleum*, dum poenitentibus tribuit spem, dicens: *Poenitentiam agite, quia appropinquavit regnum caelorum*¹⁰⁴. Infundit vinum, dum peccantibus terrorem incutit poenae, dicens: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*¹⁰⁵. Iumentum caro ipsius est, in qua ad nos venit, in qua saucium imponit, ‘quia peccata nostra portavit in corpore suo’¹⁰⁶. Imponitur vero qui ipsam Incarnationem credit et eius mysteriis tutari ab hostili incursione credit.

Stabulum est praesens Ecclesia, ubi reficiuntur viatores et in aeternam patriam redeuntes. Impositus iumento in stabulum ducitur, quia nemo nisi baptizatus, nisi corpori Christi adunatus, Ecclesiam intrat.

Et curam egit, ne aeger praecepta dimitteret, quae acceperat. Sed non vacat Samaritano diu in terris degere: redeundum erat unde descenderat. Itaque *altero die*, idest post Resurrectionem suam, quando amplior aeternae lucis splendor, quam ante Passionem, effulsit in mundo, *protulit duos denarios*, duo Testamenta, in quibus aeterni regis nomen et imago continetur; *stabulario*, idest apostolis, *dedit*, quia *tunc illis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas*¹⁰⁷, ad regendum populum. *Et quodcumque supererogaveris*. Supererogat Apostolus, qui dicit: *De virginibus praeceptum non habeo, consilium autem do*¹⁰⁸; supererogat etiam, ‘cum non utitur potestate accipiendi stipendia’¹⁰⁹. Rediens in iudicio, *reddet* dicens: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*¹¹⁰.

Quis horum trium. Iuxta litteram patet, quod alienigena ierosolymitae, cui misericordiam impendens, proximior fuit quam sacerdos vel levita gentis eiusdem. Nemo propinquior quam qui vulnera nostra curavit, quia unum est caput cum membris. Diligamus ergo eum ut Deum et Dominum

¹⁰¹ GLO. ORD., Iob 11,18-19

¹⁰² Lc 10,30. [Le fonti del commento di Lc 10, 30-37 sono estratte da GLO. ORD., *Evangelium secundum Lucam*.](#)

¹⁰³ Phil 2,7 (Vg. ... *hominum*...)

¹⁰⁴ Mt 4,17 (Vg. *mut*)

¹⁰⁵ Mt 3,10

¹⁰⁶ Cf. 1Pt 2,24

¹⁰⁷ Lc 24,45 (Vg. *mut*)

¹⁰⁸ 1Cor 7,17 (Vg. *mut*)

¹⁰⁹ Cf. 2Thess 3,9

¹¹⁰ Mt 25,21

et diligamus quasi proximum; diligamus etiam eum qui imitator est Christi. Unde sequitur: *Fac similiter*. Ut vere te proximum sicut teipsum diligere manifestes, quidquid vales, in eius corporali vel spirituali necessitate sublevanda, devotus operare”¹¹¹.

19 - Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut repromissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*¹¹². Ecce hic aperte habes quod nec sacerdos nec levita, id est sacrificium et ministerium veteris legis, humanum genus potuerunt vivificare et iustificare, sed solus mediator et Samaritanus noster, Iesus Christus, vulneratum curavit, semivivum vivificavit, ipsum, super seipsum imponens, ad stabulum Ecclesiae reduxit, ut ei, credenti in ipso Iesu Christo, vitae aeternae daretur repromissio. Non ergo ex sacerdote vel levita iustitia, sed ex fide Iesu Christi. “*Conclusit Scriptura omnia sub peccato. Hoc est quod dicit [idem] Apostolus ad Romanos: Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*”¹¹³, ac si diceret: *Notis per legem peccatis, conclusi sunt, ut se excusare non possint, sed quaerant misericordiam*”¹¹⁴ Samaritani et mediatoris nostri.

De quo habes concordantiam in Iob: *Non est, inquit, qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus*¹¹⁵. Si duo inimici, gladios habentes in manibus, ad invicem pugnarent, quis inter eos se medium vellet ponere et utrumque refrenare, nisi ille qui cum utroque affinitatem haberet? Deus et homo pugnabant ad invicem. Deus gladio poenae, homo gladio culpae. Nullus hanc litem potuit dirimere. Venit Christus utrique parti affinis, quia Dei et hominis Filius, medium se posuit, utrumque refrenavit. “*Hominem enim arguit, ne delinqueret, et patiendo Deo Patri obstitit, ne feriret. Et manum posuit in ambobus, quia et homini exemplum agendi praebuit, et Deo in se opera quibus placaretur ostendit*”¹¹⁶.

Quem, fratres carissimi, unanimiter deprecemur, qua vulnera peccatorum nostrorum sanet, nos sibi reconciliet, ut ad caelestem Ierusalem, a qua cecidimus, de hac Iericho redire mereamur. Ipso adiuvante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

20 - *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho et incidit in latrones etc.*¹¹⁷

Dicit Dominus ad Iob: *Indica mihi, si nosti, in qua via habitat lux, et tenebrarum quis sit locus*¹¹⁸. “*Iustitia, lucis nomine; iniquitas per tenebras designatur*”¹¹⁹. In Ierusalem habitat lux; Iericho locus est tenebrarum. Quicumque ergo ab Ierusalem in Iericho descendit, a luce iustitiae in tenebras iniquitatis devenit. Unde dicitur: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho etc.* Nota: quid homo, quid Ierusalem et Iericho, quid latrones, quid sacerdos et levita, quid samaritanus, oleum et vinum, quid iumentum, stabulum, stabularius, et duo denarii moraliter significant, videamus. Cum his omnibus auctoritates libri Iob, prout Dominus dederit, concordabimus.

Iste homo est quilibet vir iustus, qui dum poenitentiae operibus intendit, dum in dulcedine contemplationis se suspendit, dicens cum Iob: *Suspendium elegit anima mea*¹²⁰, procul dubio

¹¹¹ GLO. ORD., Lc 10,30-37. La citazione, da II,172,11 a II,174,13, è presa testualmente dalla GLOSSA ORDINARIA, per due passaggi distinti, separati da un commento non citato: «*Homo iste Adam intelligitur... sacerdos et levita gentis eiusdem*» e «*Nemo propinquor... devotus operare*». In PL 113, 286, il testo, dà solo gli estremi del primo passaggio e rimanda a Agostino. Se il testo citato da Glossa è AGOSTINO, *Quaestionum evangeliorum*, PL 35, 1340, sia GLO. ORD. sia Antonio ne riprendono solo alcuni elementi.

¹¹² Gal 3,20-22 (Vg. ... *ut promissio...*)

¹¹³ Rom 11,32 (Vg. *Conclusit enim...*)

¹¹⁴ GLO. ORD., Gal 3,22. Cf. ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA GLOSSA ORDINARIA, *Epistola ad Galatas*, PL 114,577: «*Notis peccatis per legem conclusi sunt, ut se excusare non possunt, sed quaerant misericordiam*».

¹¹⁵ Iob 9,33

¹¹⁶ GLO. ORD., ibidem

¹¹⁷ Lc 10,30

¹¹⁸ Iob 38,18-19 (Vg. *add mut*)

¹¹⁹ GLO. ORD., ibidem

¹²⁰ Iob 7,15 (Vg. *Elegit suspendium...*)

Ierusalem inhabitat. Tunc vere est Iob, 'vir simplex, rectus ac timens Deum et recedens a malo, habens septem filios et tres filias'^{121/a}.

Septem filii viri iusti sunt illae septem beatitudines, de quibus dicit Dominus in Matthaeo^{121/b}: *Beati pauperes spiritu*¹²². "Haec beatitudo habet duas partes, rerum scilicet abdicationem et spiritus contritionem, ut etiam bonus se inutilem et ceteris reputet inferiorem"¹²³. Pauperes spiritu ad nulla alta se erigunt, sed quae timoris et verae humilitatis sunt excolunt. Unde dicit Iob: *Commuto faciem meam et dolore torqueor. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*¹²⁴. Faciem suam commutat qui non alta, quae prius sapiebat, sed vilia et humilia de se recogitat, et sic pro antea actis dolore torquetur. Pauper spiritu opera sua veretur, timens desidiam et fraudem. "Desidiam facit minor amor Dei; fraudem proprius amor sui, dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel favoris aura vel quaelibet res exterior desideratur. Sed beatus *qui excutit manus suas ab omni munere*"¹²⁵. Nota quod "munus ab ore est gloria per favorem; a corde est expectata gratia a cogitatione; ex manu, praemium per dationem"¹²⁶. "Contra hoc timor habendus est, qui munit, sciens quod non parceret delinquenti. Etsi enim peccantes ad poenitentiam vocat, tamen numquam peccatum sine ultione praeterit: vel homo punit vel Deus"¹²⁷.

Item: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*¹²⁸. "Mitis est quem mentis asperitas, seu amaritudo, non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem iniuriam sustinendam instruit patienter"¹²⁹. Unde dicitur "mitis, quasi mutus"¹³⁰, illatae iniuriae non respondens. Unde dicit Iob: *Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me; et non magis tacui, neque egressus sum ostium*¹³¹. "Ac si aperte dicat: Turbatus contra me extrinsecus aliis, ipse in me intrinsecus inturbatus mansi"¹³². *Et despectio propinquorum terruit me*. "Sunt qui despici metuunt. Hi coguntur ostium egredi, qui pulsati contumeliis, dum de se quae nesciebantur aperiunt, tamquam per oris ostium egrediuntur"¹³³. GREGORIUS: "Nihil mundi cupere magna est securitas, ut immutabili haerens, omnibus infra turbatis, non turbetur in mente; et si extra, carnis infirmitate"¹³⁴. "Qui non timet despici,

^{121/a} Cf. Iob 1,1-2. Come per "*Hoc fac et vives*" e Lc 10,30-37, la fonte dei commenti alle beatitudini sono prese liberamente da Glossa Ordinaria, Iob, in corrispondenza ai passi citati in II,176,3 – 184,11, compreso il grande poema, "Pereat dies... lactatus uberibus", in Iob 3,3-12.

^{121/b} I nostri catechismi contano otto beatitudini. Qui Antonio ne commenta sette, ma in I, 538, 31-36, parla delle otto beatitudini di cui gioiremo nell'ottava della risurrezione: *claritas, agilitas, subtilitas, immortalitas*, per il corpo; e per l'anima, *sapientia, laetitia, concordia, amicitia* per Dio e il prossimo. Cf. LUIGI SARTORI, *L'Ecclesiologia di S. Antonio*, in «Atti 1981», p. 431, n. 6.0

¹²² Mt 5,3

¹²³ GLO. ORD., ibidem

¹²⁴ Iob 9,27-28

¹²⁵ GLO. ORD., Iob 9,28. Cf. ODO CLUNIACENSIS (878-942), *Moralia in Iob*, PL 133, 201: «Maledictus omnis qui facit opus Dei fraudulenter et desidiose (Ier 48,10). Desidiam quippe minor Dei amor exaggerat. Fraudem vero mala mente possidens proprius amor creat». Vedi Confronto - 19: Antonio - Odo Cluniacensis: "*Desidia et fraus*". 13^a post Pent.

¹²⁶ GREG., *Moralium* IX,34,53, PL 76,888-889. Cf. HINC MARUS RHEMENSIS (806-882), *De cavendis vitiis*: «Munus namque a corde est captata gratia a cogitatione munus ab ore est gloria per favorem; munus ex manu est praemium per dationem»; Vedi Confronto - 20: Antonio - Hincmarus Rhemensis: "*Munus/manus*". 13^a post Pent.

¹²⁷ GLO. ORD., Iob l.c.

¹²⁸ Mt 5,4

¹²⁹ GLO. ORD., ibidem

¹³⁰ ISID., *Etym.* X,169, PL 82,385

¹³¹ Iob 31,34 (Vg. ... *nec egressus...*)

¹³² GLO. INT., ibidem: «*Expavi...*, "Ac si aperte dicat: turbatus contra me aliis extrinsecus, ipse intrinsecus in me imperturbatus mansi".

¹³³ GLO. ORD., ibidem. Cf. ODO CLUNIACENSIS, *Moralia in Iob*, PL 133,369: «Sunt vero nonnulli qui omnino despici metuunt, ac ne viles fortasse iudicentur, sapientes videri appetunt; hi coguntur otium egredi, quia pulsati contumeliis quam magni apud se lateant, loquentes denuntiant, dumque per impatientiam victi quaedam de se quae nesciebantur aperiunt, tamquam per oris ostium egrediuntur».

¹³⁴ GLO. ORD., ibidem. ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA GLOSSA ORDINARIA, *Liber Iob*, PL 113,839: «Nihil mundi cupere magna est securitas, ut immutabili haerens, omnibus infra turbatis non turbetur in mente, etsi extra quandoque, carnis infirmitate»

per linguam foras non exilit”¹³⁵. Dicit AUGUSTINUS: “Si apud quos vixeris te recte viventem non laudaverint, illi in errore; si autem illi te laudaverint, tu in periculo”¹³⁶.

Item: *Beati qui lugent*¹³⁷. Unde Iob: *Facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt*¹³⁸. Et iterum: *Moerens incedebam*¹³⁹. Ibi GREGORIUS: “Vir sanctus, elevatus rebus et honoribus, moerens incedebat, quia, etsi hunc praelatum hominibus gloria potestatis ostendebat, interius tamen, moerore suo, sacrificium Domino contriti cordis offerebat”¹⁴⁰.

Item: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam*¹⁴¹. De qua dicit Iob: *Iustitia indutus sum, et vestivit me sicut vestimento, et diademate iudicio meo*¹⁴². “Ille iustitia sicut vestimento induitur, qui se undique bono opere induit vel protegit, et nullam partem actionis suae peccato nudam relinquit. Iustorum iudicium diadema dicitur, quia per hoc non in terrenis et infimis, sed sursum remunerari concupiscunt”¹⁴³.

Item: *Beati misericordes*¹⁴⁴. Unde Iob: *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduae expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum. Si despexi pereuntem eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, et de velleribus ovium mearum calefactus est*¹⁴⁵.

Item: *Beati mundo corde*¹⁴⁶. Unde Iob: *Si secutus est oculus meus cor meum et manibus meis adhaesit macula. Si deceptum est cor meum super mulierem, et si ad ostium vicini mei insidiatus sum... Hoc enim nefas est et iniquitas maxima. Ignis est usque ad consumptionem devorans, et omnia eradicans germina*¹⁴⁷. “Ac si dicat: Nec videre volui quod concupiscerem, nec videndo secutus sum quae concupivi. Nec adhaesit macula in manibus, culpa scilicet in actionibus meis. Quia si qua illicita aliquando cogitavit pervenire illa usque ad opera non permisit. *Ignis est* etc. Quia non usque ad iniquationem ignis luxuriae maculat, sed usque ad perditionem devorat. *Et omnia eradicat germina*. Germina sunt bonae operationes animae, quia si luxuriae malo non resistitur, et illa pereunt quae bona videbantur”¹⁴⁸.

Item: *Beati pacifici*¹⁴⁹. Unde Iob: *Si contempsisti subire iudicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me, quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est? et formavit me in vulva unus?*¹⁵⁰ GREGORIUS: “Ad iudicium cum famulis aequalis venit, quia iudicium eius qui super omnia est metuit. Se sub vero Domino famulum conspicit, ideo cordis altitudine se super famulos non extollit. Qui iudicari cum servis suis ancillisque non renuit, liquido indicat, quia contra nullum proximum tumidus fuit. Potentibus viris magna est virtus humilitatis, considerata aequalitate conditionis”¹⁵¹.

21 - Ista septem beatitudines sunt septem filii viri iusti, quorum gloria nobilis, potens et clarus efficitur. Tres filiae sunt contritio, confessio et satisfactio, de quibus, locis pluribus, satis est dictum. Ecce quanta lux, quanta gloria est in Ierusalem, idest vitae sanctitate. Sed quanta tenebrae,

¹³⁵ GLO. INT., ibidem: «*Despicio proximorum, “Qui non timet despici per linguam non exilit”*».

¹³⁶ AUG., *De sermone Domini in monte*, II,1, PL 34,1269

¹³⁷ Mt 5,5

¹³⁸ Iob 16,17

¹³⁹ Iob 30,28

¹⁴⁰ GLO. ORD., ibidem. Cf. GREG., *Moralium*, XX, 38, 73, PL 76, 182.

¹⁴¹ Mt 5,6

¹⁴² Iob 29,14 (Vg. ... *vestivi*...)

¹⁴³ GLO. ORD., ibidem

¹⁴⁴ Mt 5,7

¹⁴⁵ Iob 31,16-20

¹⁴⁶ Mt 5,8

¹⁴⁷ Iob 31,7.9.11-12 (Vg. *mut add.* Quaedam differentiae textus habentur in Vg. GLO.)

¹⁴⁸ GLO. ORD., Iob 31,7.12. Cf. GREG., *Moralium*, XXI, 12, 19, PL 76,201-202.

¹⁴⁹ Mt 5,9

¹⁵⁰ Iob 31,13-15

¹⁵¹ GLO. ORD., ibidem

quanta miseria cum ab Ierusalem descendit in Iericho, “quae interpretatur luna vel odor”¹⁵², et significat temporalium defectivam prosperitatem, de qua dicunt filii huius saeculi, in Ieremia, praedicatori: *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginae caeli et libemus ei libamina. Ex eo tempore quo cessavimus ei sacrificare, indignimus omnibus, et gladio et fame consumpti sumus*¹⁵³. Regina caeli dicebatur luna, per quam defectiva temporalium prosperitas intelligitur, cui carnales serviunt, a qua si decesserint credunt se fame et gladio consumi, et ideo nolunt audire sermonem Domini.

Ad hanc lunam non descenderat Iob, cum dicebat: *Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi: Fiducia mea! Si laetatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare*¹⁵⁴. “De Creatore quippe desperasset si spem in creatura posuisset. Nihil extra Deum menti sufficit, quae Deum veraciter quaerit”¹⁵⁵. Ab Ierusalem in Iericho descendit, qui a luce paupertatis in tenebras divitiarum cadit. Dicitur quod lupus, videns lunam in puteo, credidit esse caseum; qui consilio vulpis in puteum descendit et nihil invenit, ibi remansit cum tristitia; quem cum rustici ibidem invenissent, lapidibus obruerunt. Sic aliquis religiosus vidit in puteo mundanae vanitatis lunam clare incedentem; credidit, stultus, consilio vulpis, idest concupiscentiae carnalis, transitorium et mutabile esse verum et durable. Qui, deceptus, descendit ab Ierusalem in Iericho, ab altitudine contemplationis in puteum cupiditatis, et sic incidit in latrones, qui eum spoliant, et plagas imponunt et semivivo relicto abeunt.

Latrones sunt quinque corporis sensus, de quibus habes concordantiam in Iob: *Simul venerunt latrones eius, et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum*¹⁵⁶. ‘Latro a latitando in insidiis dicitur’¹⁵⁷. Corporis sensus, dum sub specie latitant necessitatis, ponunt insidias voluptatis; qui simul, ut facilius decipiant, veniunt et per animam miseram viam latam, quae ducit ad mortem, faciunt. Quibus nostri corporis tabernaculum in gyro est obsessum, ut anima, undecumque voluerit exire, in ipsos incidat, ‘qui ipsam spoliant gratuitis et vulnerant in naturalibus’¹⁵⁸. Unde habes concordantiam in eodem Iob: *Semitam, inquit, meam circumsepsit, et transire non possum; et in calle meo tenebras posuit. Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. Destruxit me undique et perego, et quasi avulsae arbori abstulit spem meam*¹⁵⁹. ‘Animae miserae tunc semita est circumsepta, cum, corporis sensibus dedita, bona, quae agenda videt, implere non potest. Tunc ei tenebrae ponuntur in calle, cum nec quae agenda sunt praevaleret discernere’¹⁶⁰. Gloria spoliatur, cum Sancti Spiritus gratia denudatur; ei corona aufertur, cum pura mentis intentione privatur, et sic destructa perit, et est quasi arbor sine radice humilitatis, avulsa vento diabolicae suggestionis, de terra aeternae stabilitatis, cui non remanet spes divinae miserationis.

22 - Ecce in quantam miseriam devenit qui ab Ierusalem in Iericho descendit, et ideo debet dolere et plangere cum Iob et dicere: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras; non requirat eam Deus desuper, et non sit in recordatione, nec illustretur lumine. Obscurent eum tenebrae et umbrae mortis; occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat; non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. Obtenebrentur stellae caligine eius! expectet lucem et non videat, nec ortum surgentis aurorae. Quia non clausit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab*

¹⁵² GLO. INT., Eccli 24,18: «Iericho, “qui interpretatur odor eius vel luna”, idest quasi plantatio rosae in hieme, cuius odor virtutum in passione martyrii redolet in sanctis”».

¹⁵³ Ier 44,16-17.18. (Vg. add mut. Versu 18 Vg. habet *indigemus*, in GLO. *indiguimus*).

¹⁵⁴ Iob 31,24-26

¹⁵⁵ GLO. ORD., Iob 31,24-25

¹⁵⁶ Iob 19,12

¹⁵⁷ Cf. ISID., *Etym.* X,160, PL 82,384

¹⁵⁸ Cf. P. LOMB., *Sent.* II, dist. 35,12, PL 192,737; Ad Claras Aquas, I, p. 535.

¹⁵⁹ Iob 19,8-10 (Vg. ... *evulsae arbori*...)

¹⁶⁰ Cf. GLO. ORD., Iob 19,8

*oculis meis. Quare non in vulva mortuus sum? Egressus ab utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?*¹⁶¹

Nota. “Dies est peccati delectatio; nox, mentis caecitas. Homo tribus modis dicitur: per naturam, per culpam, per infirmitatem. Homo ergo in die nascitur, nocte concipitur, quia ad delectationem peccati non rapitur, nisi prius per mentis tenebras infirmetur. *Sed pereat dies*, idest, peccati delectatio vigore iustitiae destruat. *Et nox*, idest, quod caecata mens per consensum perpetrat, dum blandimenta delectationis caute non prospicit, poenitentia extinguat. Ne autem culpa, quae blandiri incipit, ad interitum trahat, *dies vertatur in tenebras*, idest, in exordio delectationis, ad quem finem perditionis rapit, videatur, et per poenitentiam crucietur. Quod si ita punita est: *Non requirat eam Deus*, in iudicio, ut puniat, et non illustrabit. Illustrat lumine quod arguit, sed quasi tegitur quod in memoria iudicis non revocatur. Unde: *Beati quorum tecta sunt peccata*¹⁶², ne tunc in conspectu hominum monstrentur. *Non illustrentur sed obscurent eum*, idest diem delectationis, ne ab eo, qui omnia videt, videatur. *Tenebrae*, idest lamenta poenitentiae vel occulta Dei iudicia, quibus praeveniente gratia absolvimur, quae nos mereri nescimus. *Et umbra mortis*, idest mors Christi, secundum carnem, quae nostram duplam destruxit. Unde uno die et duabus noctibus in sepulcro iacuit, quia lucem suae simplae mortis nostrae duplae tenebris adiunxit. Vera mors dicitur, qua anima separatur a Deo; umbra, qua caro ab anima. Aliter, dicitur umbra mortis oblivio, quae agit, ut non sit res in memoria, sicut mors agit, ut [non] sit quod caput in vita.

Occupet eum caligo, idest mentis confusio adducens gloriam. *Et involvatur* omni parte amaritudine poenitentiae. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*, quasi diceret: Turbo tempestatis concitatus spiritu moeroris, qui mentem tristitia obnubilat. Iste est ‘spiritus, qui conterit naves Tharsis’¹⁶³, idest vis compunctionis, quae mentes maris, idest mundo deditas, salubriter rore confundit.

Non computetur in diebus anni etc. Annus nostrae illuminationis perficitur, cum, veniente iudice, nostra peregrinatio completur. Dies anni sunt singulae virtutes. Menses, multiplicia facta virtutum. Sed cum his timet ne iudex mala compenset; orat ergo, ut tunc sic bona remuneret, ne mala requirat. Si enim haec nox cum diebus numeretur, iam omnia obscurantur. Ut autem tunc non numeretur, modo discutiamus, ne qua culpa sit impunita, ne quis quod egit defendat, addens nequitiae nequitiam. Unde addit: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna*. Sunt enim qui mala laudant et defendunt, et sic culpa geminatur, nec remanet solitaria. Contra quos dicitur in Ecclesiastico: *Peccasti, ne adicias iterum*¹⁶⁴, peccare, idest mala defendere. Culpam vero bene insequitur, qui nulla prospera saeculi appetit.

Unde sequitur: *Maledicant ei qui maledicunt diei*. Illi bene noctem poenitendo ferunt, qui lucem prosperitatis calcant, qui diem delectationis non habent. Vel, dies est suggestio hostis; et est sensus: Illi transacta vere puniunt, qui in ipsa blanda suggestionem insidias seductoris deprehendunt, qui contra se amplius suscitant Leviathan - de hoc quaere in evangelio: *Cum immundus spiritus exierit ab homine*¹⁶⁵-. Sed quia, victis vitiis, aliquid minimum remanet quod vinci non potest, ne victor elevetur, subdit: *Obscurentur stellae caligine eius*, scilicet noctis, quia et splendentes virtutibus reliquias noctis trahunt, scilicet ex circumstantiis etiam renitentes, ut tamen luceant melius unde nolentes humiliter obscurentur. Unde dicitur in libro Iosue, quod ‘tribus Ephraim, in terra promissionis, Chananaeus non occisus fit tributarius’¹⁶⁶, quia, cum spe intramus caelestia, inter optima restant vitia, quae tamen serviunt nobis ad usum humilitatis, ne superbiat qui vincere non potest, licet parva. Unde rursus: *Hae sunt gentes quas reliquit Dominus, ut in eis erudiret Israel*¹⁶⁷; idest vitia, in quibus iustus semper exercetur, et dum vinci timet, elatio virtutis comprimitur et in parvis discit, quod ipse maiora non vincit. Vel: *Obscurentur stellae caligine eius noctis*, quia nox, idest consensus ad culpam, ab Adam in nos propagata, ita oculum turbat, ut etiam hi qui lucent mundo ut astra, aeternum lumen ut est videre

¹⁶¹ Iob 3,3-12 (Vg. *om mut.* Vg., ver., 4 habet ... *desuper, et non illustretur lumine*; in GLO. ... *desuper, et non illustretur lumine et non sit in recordatione*)

¹⁶² Ps 31,1; Rom 4,7 (Vg. *utrobique additis*)

¹⁶³ Cf. Ps 47,8

¹⁶⁴ Eccli 21,1

¹⁶⁵ *Dominica III in Quadragesima*, quarta clausula

¹⁶⁶ Cf. Ios 17,13

¹⁶⁷ Iudc 3,1 (Vg. *mut*)

non possint. Et hoc est: *Expectet lucem et non videat*, quia quantolibet ardore exiliant, tamen in hac carne lumen ut est non videbunt, pro caecitate damnationis in qua nati sunt.

Nec ortum surgentis aurorae. Ortus aurorae est nova nativitas resurrectionis, qua sancti orientur cum carne ad lumen aeternum videndum. Sed quantumcumque hic fulgeant electi, nequeunt penetrare quae erit illa gloria novae nativitatis. Haec nox non clausit sed aperuit ostia ventris, quia concepto ad peccatum homini desideria concupiscentiae reseravit. His autem ostiis, idest desiderii concupiscentiae carnalis reseratis, ad innumera corruptionis mala pertrahimur. Unde gravati gemimus, quia hoc iustitia exigit, ut quod sponte fecimus, inviti toleremus.

Sequitur: *Quare non in vulva mortuus sum etc.?* Vulva, in qua in peccato concipitur homo, est mala suggestio. Sed utinam in ea mortuus, idest me mortuum novissem, ne ad delectationem suggestio traheret. *Egressus ex utero non statim perii.* Egressus est de utero, quem in peccato conceptum foras delectatio rapuit, sed utinam in ea delectatione occumberem, ne usque ad operationis consensum desiperem”¹⁶⁸.

‘Cur exceptus genibus? Exceptus est genibus, quando per consensum spiritus omnes sensus et membra substernuntur ad perpetrationem mali operis, quemadmodum genua puero. *Cur lactatus uberibus?* Uberibus etiam lactatur, cum cassa fiducia et blandis excusationibus fovetur. Nota etiam quod in opere prius latens culpa agitur, et tunc est in vulva; post ante homines sine pudore aperitur et tunc exit ex utero; inde in consuetudinem ducitur, et tunc genibus excipitur; post vel falsa spe vel desperatione nutritur, et tunc uberibus lactatur”¹⁶⁹.

23 - Ecce habes quod ille, qui ab Ierusalem in Iericho descendit, quantis lamentis dolere et poenitere debet. Ubi et subditur: *Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via et viso illo praeterivit. Similiter et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit*¹⁷⁰. In sacerdote amor dominandi, in levita hypocrisis designatur. De his duobus simile quid habes in libro Iudicum, ubi legitur quod Abimelech pugnabat fortiter ad capiendam turrim; *et appropinquans ostio ignem supponere nitebatur. Et ecce mulier una fragmen molae desuper iaciens illisit capiti Abimelech, et confregit cerebrum eius. Qui vocavit cito armigerum suum, et ait ad eum: Evagina cito gladium tuum et percute me, ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui iussa complens interfecit eum*¹⁷¹. Quid Abimelech et turris, quid ostium et ignis, quid mulier et fragmen molae, quid cerebrum et armiger Abimelech significant videamus.

“Abimelech interpretatur pater meus rex”^{172/a} et significat illum qui, quasi pater et rex, aliis vult praeesse. *Turris* est altitudo dignitatis, ad quam expugnandam accedit. Sed, ut ipsam facilius accendere possit, ignem, idest marchas auri et argenti^{172/b}, de quo Propheta: *Ignis in domo impii*^{173/a}, supponit *ostio*, idest illis, qui ostium Ecclesiae videntur esse, ut per ipsos, tali igne adustos, in turrim valeat ascendere.

Vel *ostio*, idest ipsorum curiae ostiariis et notariis, qui sunt pessimi emunctores, qui sanguinem pauperum emungunt, bursas divitum evacuant, et suis nepotibus et neptibus, et forte filiis et filiabus, distribuunt, in pittaciis^{173/b} petitiones recipiunt, et pro eis auri et argenti pondera percipiunt. De quibus dicit Iob: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*¹⁷⁴. Et iterum: *Abundant tabernacula praedonum vel latronum, et audacter provocant Deum; cum ipse dederit omnia in manibus eorum*¹⁷⁵. Et iterum: *Sunt quasi onagri in deserto: egrediuntur ad opus*

¹⁶⁸ GLO. ORD., 3,3-11

¹⁶⁹ Cf. GLO. ORD., Iob 3,12

¹⁷⁰ Lc 10,31-32

¹⁷¹ Iudc 9,52-54. (Vg. *mut om*)

^{172/a} HIER., *De nom. hebr.*, PL 23,819

^{172/b} La *Marca* era una moneta di un peso corrispondente poco più poco meno a una libra. PAPIAS, per esempio, scrive: «Marca dicitur pondus argenti unius librae». Cf. DU CANGE-CARPENTIER, *Glossarium Novum ad scriptores Medii Aevi*, Paris 1766, alla parola “*Marcha*”.

^{173/a} Mich 6,10

^{173/b} Il *Pittacium* o *pittacium* corrisponde alla nostra “ricevuta”. Cf. HINCMAR DI LIONE, *Pittaciolus*, e HIER., *In Evangelium Matthaei*, IV,23, PL 26, 170: «*Pictatiola*, parvas schedulas, a graeco πικτάτιον, quod est *libellus*, *parva tabella*, his similia».

¹⁷⁴ Iob 15,34

¹⁷⁵ Iob 12,6 (Vg. ... *in manus eorum*)

*suum, vigilantesque ad praedam, praeparant panem liberis ac nepotellis suis. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes. De civitatibus fecerunt viros gemere, et animae vulneratorum clamabunt, et Deus inultum abire non patietur. Ipsi fuerunt rebelles lumini*¹⁷⁶, et ideo lumine gratiae et gloriae privabuntur. Infelix Abimelech, qui praesesse desiderat non ut prodesse valeat, iter arripit, non timens fallaciam hospitem, frigus Alpium, calorem italicum, non discrimina Tusciae, non latrones Romae. Accedit tantum ad ostium, supponit ignem, exoneratur auro, oneratur plumbo, in pittacio suspenso. Et quid huic infelici ascendere cupienti eveniat, videamus.

Et ecce mulier etc. Mulier ista caro est; fragmen molae, quo confringitur cerebrum, est sollicitudo ambitiosi, qua eius mens dispergitur in praesenti, et postmodum ipse dissipabitur percussione districti iudicii. Unde Iob: *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum aereum. Eductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua*¹⁷⁷. GREGORIUS: “Arma ferrea sunt necessitates vitae praesentis, quae dure premunt. Aere sententia aeterna figuratur, quae, quia ab iniquo non attenditur, iuste arcui, qui ex insidiis percutit, comparatur. *Fugiet ergo arma ferrea* etc., quia dum, praesentes necessitates metuens, multa per avaritiam rapit, aeterni iudicii se percussione opponit. *Eductus et egrediens* etc. Iniquus, dum prava in cogitatione machinatur, quasi gladius in vagina est; de vagina egreditur, dum per iniquitatem malae operationis aperitur. Fulguris nomine splendor exprimitur cum percussione. Qui ergo praepositus in potestate aliis nocet, fulgurans dicitur, quia unde contra bonos quasi ex luce gloriae extollitur, inde bonorum vita cruciatur”¹⁷⁸.

Sequitur: *Qui vocavit armigerum suum* etc. Armiger “qui arma gerit”¹⁷⁹ et cum ipsis non pugnat, est hypocrisis, per quam infelix Abimelech magis vult perire quam per mulierem, idest per opera carnalia. Unde de utroque dicit Iob: *Cum fuerit tempus, struthio in altum alas erigit*¹⁸⁰. ‘Struthio, cuius penna est similis pennis herodii et accipitris, hypocritam significat, qui de pluma alienae sanctitatis magnificat sibi fimbrias. Hic alas habet pressas, scilicet cogitationes, quas, cum tempus fuerit, in altum elevat; quia, opportunitate comperta, ea superbiendo manifestat. Nunc autem qui se sanctum simulat, qua via in semetipso stringit quae cogitat, quasi alas in corpore per humilitatem plicat’¹⁸¹. Ecce iam habes quis sit sacerdos, sacras auri et argenti marchas, quasi hostias, offerens diis, de quibus: *Omnes dii gentium daemonia*¹⁸²; quis etiam sit levita, eius minister.

24 - Dicatur ergo, quod sacerdos et levita, vulneratum spoliatum, semivivum videntes et contemnescentes, pertranseunt. Unde habes concordantiam in Iob: *Struthio derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, duratur ad filios suos quasi non sint sui*¹⁸³. “Struthio est hypocrita, temporalium altitudinem appetens, qui ova sua, idest filios quos genuerat, derelinquit, et omnino non curat, ne, aut exhortationis sollicitudine aut disciplinae custodia destitutos, pravorum operum exempla pervertant, aut bestia agri conterat. Ager est mundus, bestia diabolus, qui huius mundi rapinis insidians - animam, ab Ierusalem in Iericho descendentem, spolians et vulnerans - humana quotidie morte satiatur. Et est sensus: Si diabolus, in hoc mundo saeviens, editos in bona conversatione rapiat, hypocrita omnino non curat. Unde additur: *Duratur ad filios suos* etc. Quem enim caritatis gratia non infundit, proximum suum, etiam si ipse hunc Deo genuit, extraneum respicit. Unde bene praemittitur: *Derelinquit ova sua in terra*. Ova in terra derelinquere est nullum caelestis vitae exemplum filiis praebere. Sed quia eos superna cura non deserit, ideo sequitur: *Tu forsitan, in pulvere calefacies ea?* Ac si diceret: Ut ego qui illa in pulvere calefacio, quia scilicet parvulorum animas, in medio peccantium - qui sunt ut *pulvis, quem proicit ventus a facie terrae*¹⁸⁴ - positas, amoris mei igne succendo”¹⁸⁵.

¹⁷⁶ Iob 24,5.7.12-13 (Vg. mut om)

¹⁷⁷ Iob 20,24-25

¹⁷⁸ GLO. ORD., ibidem. Per Gregorio, si può citare GREG., *Moralia*, PL 75,1096: «Quid ergo sunt arma ferrea, nisi necessitates vitae praesentis, quae dure premunt, et vitam inopis insequuntur», inglobata in GLO. ORD., in Iob. l.c.

¹⁷⁹ ISID., *Etym.* X,6, PL 82,368

¹⁸⁰ Iob 39,18 (Vg. mut om)

¹⁸¹ Cf. GLO. ORD., Iob 39,13

¹⁸² Ps 95,5

¹⁸³ Iob 39,14-16

¹⁸⁴ Ps 11,4

¹⁸⁵ GLO. ORD., Iob l.c. L'intero commento è preso da GLO. ORD., in Iob 39,14-16.

25 - Unde bene sequitur in evangelio: *Samaritanus autem iter faciens secus viam et videns eum, misericordia motus est. Et appropinquans alligavit vulnera eius, et infundens oleum et vinum et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum et curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario* etc.¹⁸⁶ Samaritanus, “qui interpretatur custos”¹⁸⁷, Sancti Spiritus gratiam significat, de qua Iob: *Quis mihi tribuat ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris. Sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei*¹⁸⁸. Anima, ab Ierusalem in Iericho descendens et in latrones incidens, videns se spoliata et vulnerata, considerans Baptismi innocentiam, contemplationis dulcedinem, vitae puritatem pristinam suspirans et plangens, dicit: *Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos*, idest vitae perfectionem, *secundum dies*, idest conscientiae claritatem, exempli illuminationem, *quibus Deus custodiebat* introitum et exitum meum? Introitum ad contemplationem, exitum ad operationem; introitum ad conscientiam, exitum ad proximi famam. *Quando lucerna splendebat*, idest eius gratia, *super caput*, idest mentem meam, *ad cuius lumen ambulabam* per semitam iustitiae, *in tenebris*, idest in falsis fratribus. Heu! heu! quis mihi tribuat, ut sim *sicut in diebus adolescentiae meae*, idest baptismalis innocentiae et purae vitae; *quando secreto Deus erat* - ‘plangitur simulatio, quando Deus est in publico, non in secreto’¹⁸⁹ - *in tabernaculo meo*, “ut intus secreto proficerem”¹⁹⁰. Postquam vero a secreto exii, in latrones inci. Dum eram in secreto, *erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei*, idest sensus corporis mei, mihi pure fideliter ministrantes. Sed heu! heu! infelix, cum ab Ierusalem descendi, a secreto exii, pueri mei facti sunt latrones mihi, qui me spoliavit et vulneravit. Sed Sancti Spiritus gratia, ‘qui orat, idest orare facit, gemitibus inenarrabilibus’¹⁹¹, qui est ‘pater pauperum, dator munerum, lumen cordium’¹⁹², quid animae vulneratae faciat, audiamus.

Alligavit, inquit, *vulnera eius infundens oleum et vinum*. In oleo, quod illuminat, peccati cognitio; in vino, quod inebriat, designatur lacrimarum compunctio, quae animam inebriat, ut temporalium obliviscatur. Ebrietas etiam lacrimas provocat. Super his duobus habes concordantiam in Iob, ubi dicit Dominus: *Per quam viam spargitur lux, dividitur aestus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonanti tonitruui, ut plueret super terram?*¹⁹³ Via est Sancti Spiritus gratia, per quam lux, idest peccati cognitio, spargitur, et tunc aestus, idest ardor contritionis, dividitur super terram, idest ipsum peccatorem facit dividere corpus peccati, ut ipsum et eius sic circumstantias membratim dividat; et sic dat cursum vehementissimo imbri, idest compunctioni lacrimarum, quarum vehementia culpa et verecundiae frangit obstacula, et tunc dat viam sonanti tonitruui, idest aperit viam confessionis, quae tamquam tonitrus daemones exterret. Unde dicitur in primo libro Regum: *Intonuit Dominus fragore magno super Philisthaeos et exterruit eos, et caesi sunt a filiis Israel*¹⁹⁴. In tonitruo et gladio confessionis Philisthaei, “idest daemones”¹⁹⁵, exterriti caeduntur a filiis Israel, idest vere poenitentibus. Bene ergo dicitur: *Infundens oleum et vinum, alligavit vulnera eius*. Sancti Spiritus gratia vulnera animae ligat, cum spem veniae, stolam gloriae poenitenti repromittit.

Et imponens eum super iumentum etc. ‘Iumentum dictum, quasi iuvamentum’¹⁹⁶, est obedientia, quae dicit: *Ut iumentum factus sum apud te*¹⁹⁷. Dum enim alienae voluntati anima supponitur, tunc adiuvata superfertur. Dum enim portat portatur. Stabulum est foetor propriae

¹⁸⁶ Lc 10,33-35 (Vg. ... venit secus eum et...)

¹⁸⁷ GLO.INT.,Io 8,48: «Samaritanus, “Hoc non negat quia custos”».

¹⁸⁸ Iob 29,2-5

¹⁸⁹ Cf. GLO. INT.,Iob 29,4: «His verbis non immerito etiam simulatio religionis plangitur, quia nonnulli, etiam nunc, Christiani esse non appetunt sed videri, quibus videlicet Deus in publico est, non in secreto».

¹⁹⁰ GLO. INT., ibidem: cf. [Supra](#), n. 201.

¹⁹¹ Cf. Rom 8,26

¹⁹² Cf. MISSALE ROMANUM, *Dominica Pentecostes*, Sequentia

¹⁹³ Iob 38,24-26 (Vg. ... sonantis tonitruui...; in GLO. ... sonanti). In verbo *tonitruui* GLO. INT., ibi monet: «Dativus est».

¹⁹⁴ IReg 7,10 (Vg. *add mut*)

¹⁹⁵ GLO. ORD., IReg 4,1

¹⁹⁶ Cf. ISID., *Etym.* XII,1,7, PL 82,425

¹⁹⁷ Ps 72,23

iniquitatis. Stabularius, spiritus contritionis. Duo denarii sunt duo genera compunctionis, scilicet pro commisso et omisso. Poenitens enim debet lugere, quia commisit prohibita, et dimisit agere sibi praecepta. Anima peccati saucia, sed Sancti Spiritus emplastro curata, super iumentum obedientiae ducitur ad stabulum, idest foetorem iniquitatis propriae, ut ibi sedeat cum Iob, de quo dicitur: *Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio*¹⁹⁸.

“Testa vocabulum ab argilla excocta sumpsit, quae dum mollis sit efficitur testa”¹⁹⁹. Unde testa quasi tosta est dicta, et significat asperitatem poenitentiae, qua poenitens, sedens in sterquilinio, idest humilians se in sui peccati foetore, debet radere suorum peccatorum saniem. “Sanies dicta, quod ex sanguine nascitur; excitato enim calore vulneris in saniem vertitur”²⁰⁰. “Sanies est sanguinis putredo”²⁰¹; putredinem enim culpae debet radere asperitate poenitentiae. Et nota quod nullus potest reverti in Ierusalem, nisi super iumentum obedientiae imponatur. Unde Dominus sedens super asinum ingressus fuit Ierusalem. De hoc iumento dicit Nehemias in libro Esdrae: *Non erat locus iumento, cui sedebam*²⁰². Corpus nostrum, quod debet esse quasi iumentum humile, obediens et abiectum, cui supersedere debet anima, in hoc mundo non debet habere locum, quia locus hominis est super omnia. Unde: *Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum*²⁰³. Nota etiam quod dicitur in NATURALIBUS, quod ‘quando iumentum est in luxuria, si tondeantur eius crines, mansuescit’²⁰⁴. Ita corpori nostro debemus facere; quando enim temporalium abundantia lascivire et carnis petulantia voluerit luxuriare, tunc debemus ipsum deturpare, et ei quasi stulto caput tondere. Unde dicitur de Iob, quod ‘tonso capite corrui in terram’²⁰⁵. Scabioso et gravi infirmitate praegravato, solemus caput tondere. Huic corpori, scabioso et infirmo, divitiarum et deliciarum crines debemus tondere, ut, tamquam animal mansuetum, ad civitatem Ierusalem valeat nos deportare.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Sancti Spiritus gratiam, ut animarum nostrarum vulneribus oleum et vinum infundat misericordiae suae, fasciis alliget, super iumentum obedientiae imponat, ad stabulum, nostrae scilicet iniquitatis recordationem, ducat, stabulario, spiritui scilicet contritionis, nos commendat, ut sub ipsius cura tamdiu simus, quousque duobus denariis, idest duplici genere compunctionis, pristinam et perditam sanitatem recuperemus; qua recuperata ad Ierusalem, de qua cecidimus, redire valeamus. Ipso praestante, qui cum Patre et Filio vivit et regnat, unus Deus, per aeterna saecula. Dicat omnis poenitens anima: Amen. Alleluia.

Confronto - 19: **Antonio - Odo Cluniacensis**: “*Desidia et fraus*”. 13^a post Pent.

Antonio , II,176,14-17	Odo Cluniacensis , <i>Moralia in Job</i> , PL 133,201.
Desidiam <i>facit</i> minor amor Dei; fraudem <i>proprius amor sui</i> , dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel favoris aura vel quaelibet res exterior desideratur. Sed beatus <i>qui excutit manus suas ab omni munere</i> (Is 33,15).	Desidiam quippe minor Dei amor <i>exaggerat</i> . Fraudem <i>vero mala mente possidens proprius amor creat</i> . Contra hanc dicitur: “ <i>Exscutit manus suas ab omni munere</i> ” (Is 33,15).

Confronto - 20: **Antonio - Hincmarus Rhemensis**: “*Munus/manus*”. 13^a post Pent.

Antonio , II,176,18-21	Hincmarus Rhemensis , PL 125, 860
Munus ab ore est gloria per favorem; a corde est <i>expectata</i> gratia a cogitatione; ex manu, praemium per	Munus <i>namque</i> a corde est <i>captata</i> gratia a cogitatione munus ab ore est gloria per favorem; <i>munus</i> ex manu

¹⁹⁸ Iob 2,8

¹⁹⁹ ISID., *Etym.* XX,4,4, PL 82,715

²⁰⁰ ISID., *Etym.* IV,8,22, PL 82,192

²⁰¹ GLO. ORD., Iob l.c.

²⁰² 2Esdr 2,14

²⁰³ Ps 8,7 (Vg. ... *super opera*...). Verba *super omnia* videntur sumpta ex GLO.INT. in v. 8, *Omnia subiecisti*..., eiusdem Psalmi. Quae GLOSSA legitur: «Omnia quidem, quia super omnia opera constituisti eum, ideo dico...».

²⁰⁴ Cf. ARIST., *De hist. an.* VI,18,572b 7-8: «Equarum libido extinguitur magis iuba tona, et frons tristior redditur»; PLINIUS., *Naturalis historiae* X,83: «Equarum iubas tondere praecipunt, ut asinorum in coitu patiantur humilitatem: comantes enim gloria superbire».

²⁰⁵ Cf. Iob 1,20

dationem.	<i>est praemium per dationem.</i>
-----------	-----------------------------------